sulado por Augusto por los respetos de su padre. Una hija llamada Tulia, que habia sido tres veces casada con jóvenes de la mayor distincion, ya habia muerto antes de su padre sin dejar hijos. Aunque Ciceron habia heredado poco, llegó á ser rico, habiéndole deseado muchos amigos por heredero. Fue dos veces casado. La primera muger se llamó Terencia, y la segunda Publia: á ambas dió libelo de repudio, permision que daban las leyes romanas. En Terencia tuvo el hijo é hija, de quienes se habló poco há. Llegó á tener la mayor autoridad con el senado y pueblo, y á ser visitado y frecuentada su casa, como las de Craso y Pompeyo, aquel el mas rico, y este el mayor general de los romanos. Ademas de los empleos, de que ya se habló, de *edil, pretor y cónsul*, tuvo tambien el de *augur* ó *agorero*, que era de los mas estimados. Adornáronle muchas virtudes, singular prudencia, justificacion, desinteres, amor al bien público, gratitud, templanza, continencia y fortaleza para despreciar los riesgos por la utilidad comun. Es verdad que era jactancioso, y alguna vez por defeder á sus amigos pareció declinar algo de lo justo, y por seguir su humor de decir donaires se hizo con sus dichos no pocos enemigos. Escribió varias obras de elocuencia, de filosofía y de política, que miran con aprecio y estima los sabios de este siglo ilustrado. Su vida escribieron en latin Tiron su liberto, y en griego Plutarco, de quien estractamos lo que va dicho, por haberse perdido la que escribió Tiron.

LIBRO PRIMERO.

DE LAS CARTAS DE RECOMENDACION.

CARTA PRIMERA.

ARGUMENTO.

Pide Ciceron á Léntulo que favorezca en todo á Aulo Trebonio.

M. T. CICERO P. LENTULO PROCONS. S. D.

Aulo Trebonio, qui in tua provincia magna negotia et ampla et expedita habet, multos annos utor valde familiariter. Is cum antea semper et suo splendore, et nostra ceterorumque amicorum commendatione gratiosissimus in provincia fuit; tum hoc tempore propter tuum in me amorem, nostramque necessitudinem vehementer confidit, his meis litteris se apud te gratiosum fore; quæ ne spes eum fallat, vehementer te rogo: commendoque tibi ejus omnia negotia, libertos, procuratores, familiam: in primisque, ut, quæ T. Ampius

de ejus re decrevit, ea comprobes : omninibusque rebus eum ita tractes, ut intelligat, meam commendationem non vulgarem fuisse. Vale. *Lib.* 1, *ep.* 3.

NOTAS.

Magna : *cuantiosos.*
Ampla : *de monta.*
Expedita : *en buen estado.*
T. Ampius : *que habia gobernado la Cilicia antes de* Léntulo.

CARTA II.

ARGUMENTO.

Recomienda á Marco Fabio, esponiendo las causas por qué le estima : pide á lo último que se le envien noticias.

Cicero imperator M. Cœlio ædili curuli S. D.

Marco Fabio, viro optimo, et homine doctissimo, familiarissimé utor, mirificèque eum diligo, cum proptet summum ejus ingenium summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam. Ejus negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea. Novi ego vos magnos patronos ; hominem occidat, oportet, qui vestra opera uti velit. Sed in hoc homine nullam accipio excusationem. Omnia relinques, si me amabis, cum tua opera Fabius uti volet. Ego res romanas vehementer expecto, et desidero : in primisque, quid agas, scire cupio.

Nam jam diu, propter hyemis magnitudinem, nihil novi ad nos afferebatur. Vale. *Lib.* 2, *ep.* 14.

NOTAS.

Hominem : *da á entender que no sa encarga sino de causas dificiles.*

CARTA III.

ARGUMENTO.

Manifiéstase muy afecto servidor de Apio; con quien habia estado enemistado por causa de Clodio, hermano de Apio, y enemigo acérrimo de Ciceron : alaba á dos libertos de Apio, Fanias y el ciliciano ; y recomienda á L. Valerio.

M. T. C. Appio Pulchro imp. S. D.

Si ipsa respublica tibi narrare posset, quomodò sese haberet, non faciliùs ex ea cognoscere posses, quàm ex liberto tuo Phania : ita est homo non modò prudens, verùm etiam, quod vidi, curiosus. Quapropter ille tibi omnia explanabit ; id enim mihi et ad brevitatem est aptius, et ad reliquas res providentius. De mea autem benevolentia erga te, etsi potes ex eodem Phania cognoscere, tamen videntur etiam aliquæ meæ partes. Sic enim tibi persuade, charissimum te mihi esse, cum propter multas suavitates ingenii, oficii, humanitatis tuæ, tum quod ex tuis litteris, et ex multorum sermonibus intelligo, omnia, quæ à me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. Quod cum ita

sit perficiam profectò, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, et gratia, crebritate et magnitudine officiorum meorum sarciam. Idque me, quoniam tu ita vis, puto non invita Minerva esse facturum: quam quidem ego si fortè de tuis sumpsero, non solùm Pallada, sed etiam Appiada nominabo. Cilix, libertus tuus, antea mihi minùs fuit notus; sed ut mihi reddidit à te litteras plenas et amoris, et officii, mirificè ipse suo sermone subsecutus est humanitatem litterarum tuarum. Iucunda mihi ejus oratio fuit, cum de animo tuo, cum de sermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret. Quid quæris? Biduò factus est mihi familiaris; ita tamen, ut Phaniam valde sim desideraturus. Quem cum Romam remittes (quod, ut putabamus, celeriter eras facturus) omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari à me voles, mandata des velim. L. Valerium jurisconsultum valde tibi commendo: sed ita etiam, si non est jurisconsultus. Meliùs enim ei cavere volo, quàm ipse aliis solet. Valde hominem diligo: est ex meis domesticis, atque intimis familiaribus. Omninò tibi agit gratias: sed idem scribit, meas litteras maximum apud te pondus habituras. Id eum ne fallat, te etiam atque etiam rogo. Vale.

Lib. 3, *ep.* 1.

NOTAS.

Curiosus: *amigo de saber.*

Providentius: *mas acertado.*

Aliquæ: *que me toca á mí tambien decir algo.*

A me: *todos los servicios, que te hice.*

Usuram: *el goze.*

Intermissa: *cortada nuestra comunicacion y trato por nuestra enemistad.*

Non invita: *ayudándome mi industria.*

Minerva, *era la diosa de las ciencias y artes.*

Non: *no solo la llamaré Palas, sino tambien Apias de tu nombre.*

L. Valerium: *no parece era muy buen letrado.*

CARTA IV.

ARGUMENTO.

Recomienda á A. Cecina, dando por motivos, que le interesan para ello el trato familiar con su padre, y el amor que tiene al mismo Cecina.

M. T. Cicero Furfano proconsuli S. D.

Cum A. Cæcina tanta mihi familiaritas, consuetudoque semper fuit, ut nulla major esse possit. Nam et patre ejus, claro homine, et forti viro, plurimùm usi sumus: et hunc à puero, quòd et spem mihi magnam aferebat summæ probibatis, summœque eloquentiæ, et vivebat mecum conjunctissimè non solùm officiis amicitiæ, sed etiam studiis communibus, sic semper dilexi, ut non ullo cum homine conjunctiùs viverem. Nihil attinet me plura scribere. Quàm mihi necesse sit ejus salutem, et fortunas, quibuscumque rebus possim, tueri, vides. Reliquum est, ut, cum cognoverim pluribus rebus; quid tu et de bonorum fortuna, et de

reipublicæ calamitatibus sentires, nihil á te petam, nisi ut ad eam voluntatem, quam tua sponte erga Cæcinam habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione mea, quantì me à te fieri intelligo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale. *Lib.* 6, *ep.* 9.

CARTA V.

ARGUMENTO.

Recomienda á Trebacio el negocio de un sugeto llamado Silio, que era su amigo y muy hombre de bien.

Cicero M. T. Trebatio S. D.

Silii causam te docui. Is postea fuit apud me, quum ei dicerem, tibi videri sponsionem illam nos sine periculo facere posse: *Si bonorum Turpiliæ possessionem Q. Cæpio prætor ex edicto suo mihi dedit*; negare ajebat Servium tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is qui factionem testamenti non habuerit: hoc idem Offilium dicere: tecum se loquutum negabat: meque rogabit ut se, causamque suam tibi commendarem. Nec vir melior, mi Testa, nec mihi amicior P. Silio quisquam est, te tamen excepto. Gratissimum igitur mihi feceris, si ad eum ultrò veneris, eique pollicitus eris. Sed, si me amas, quamprimùm. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. *Lib.* 7, *ep.* 21.

NOTAS.

Sponsionem: *aquella estipulacion ó promesa.*

Factionem: *derecho de hacer testamento.*

CARTA VI.

ARGUMENTO.

Recomienda á los herederos de Turio.

Cicero Cornificio S. D.

Q. Turius, qui in Africa negotiatur, est vir bonus, et honestus; hæredes fecit similes sui Cn. Saturnium, Sex. Aufidium, C. Annejum, Q. Considium gallum, L. Servilium posthumum, C. Rebellinum. Ex eorum oratione intellexi, gratiarum actione eos magis egere, quàm commendatione. Tanta enim liberalitate se tua usos prædicabant, ut iis plùs à te tributum intelligerem, quàm ego auderem te rogare. Audebo tamen; scio enim quantum ponderis mea commendatio sit habitura. Quare à te peto, ut ad eam liberalitatem, qua sine meis litteris usus es, quàm maximus his litteris cumulus accedat. Caput autem est meæ commendationis, ne patiare Erotem Turium, Q. Turii libertum, ut adhuc fecit, hæreditatem turianam avertere; ceterisque omnibus rebus habeas eos à me commendatissimos. Magnam ex eorum splendore, et observantia capies voluptatem. Quod ut velis, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. *Lib.* 12, *ep.* 26.

NOTAS.

Avertere: *desaparezca.*

CARTA VII.

ARGUMENTO.

Recomienda la compañía de Bitinia, y señaladamente á Cn. Pupio.

M. T. C. Crasepedi S. P. D.

Quamquam tibi præsens commendavi, ut potui, diligentissimè socios Bithyniæ; teque cum mea commendatione, tum etiam tua sponte intellexi cupere ei societati, quibuscumque rebus posses, commodare: tamen, cum ii, quorum res agitur, magnì sua interesse arbitrarentur, me etiam per litteras declarare tibi, qua essem erga ipsos voluntate; non dubitavi hæc ad te scribere. Volo enim te existimare, me, cum universo ordini publicanorum multum semper libentissimè tribuerim; idque pro magnis ejus ordinis erga me meritis facere debuerim, tum in primis amicum esse huic bithynicæ societati: quæ societas ordine ipso, et hominum genere, pars est maxima civitatis. Constat enim ex ceteris societatibus: et casu permulti sunt in ea societate valde mihi familiares: in primisque is, cujus præcipuum officium agitur hoc tempore, P. Rupilius, P. filius Menenia, qui est magister in ea societate. Quæ cum ita sint, majorem in modum à te peto, Cn. Pupium, qui est in operis ejus societatis, omnibus tuis officiis, atque omni liberalitate tueare; curesque, ut ejus operæ, quod tibi facile factu est, quàm gratissimæ sint sociis; rem-

que, et utilitatem sociorum (cujus rei quantam potestatem quæstor habeat, non sum ignarus) per te quàm maximè defensam, et auctam velis. Id cum mihi gratissimum feceris; tum illud tibi expertus promitto, et spondeo, te socios Bithyniæ, si iis commodaris, memores esse, et gratos cogniturum. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 9.

NOTAS.

Præsens: *á boca.*
Quorum: *los interesados.*
Tribuerim: *he estimado mucho, he hecho mucho por todo el órden.*
Magister: *director.*
Operis: *que es agente.*

CARTA VIII.

ARGUMENTO.

Recomienda á L. Castronio.

M. T. C. Bruto S. P. D.

L. Castronius Pætus, longè princeps municipii Lucensis, est honestus, gravis, plenus officii, bonus planè vir, et cum virtutibus, tum etiam fortuna, si quid hoc ad rem pertinet, ornatus: meus autem est familiarissimus, sic prorsùs, ut nostri ordinis observet neminem diligentiùs. Quare et ut meum amicum, et ut tua dignum amicitia, tibi commendo. Cui quibuscumque rebus commodaveris, tibi profectò jucundum, mihi certè erit gratum. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 13.

NOTAS.

Si : *si esto hace algo al caso.*
Observet : *respeta.*

CARTA IX.

ARGUMENTO.

Informa bien á César de Apolonio, y le recomienda.

M. T. C. Cæsari imp. S. P. D.

P. Crassum ex omni nobilitate adolescentem dilexi plurimùm ; et ex eo, cum ab ineunte ejus ætate benè speravissem, tum optimè existimare cœpi ex iis judiciis, quæ de eo feceram, cognitis. Ejus libertum Apollonium jam tum equidem, cum ille viveret, et magnì faciebam, et probabam. Erat enim et studiosus Crassi, et ad ejus optima studia vehementer aptus: itaque ab eo admodùm diligebatur. Post mortem autem Crassi, eò mihi etiam dignior visus est, quem in fidem, atque amicitiam meam reciperem, quòd eos à se observandos, et colendos putabat, quos ille dilexisset, et quibus charus fuisset. Itaque et ad me in Ciliciam venit, multisque in rebus mihi magno usui fuit et fides ejus, et prudentia : et, ut opinor, tibi in alexandrino bello, quantum studio, fidelitate consequi potuit, non defuit. Quod cum speraret te quoquè ita existimare, in Hispaniam ad te, maximè ille quidem suo consilio, sed etiam me auctore, est profectus. Cui

ego commendationem non sum pollicitus, non quin eam valituram apud te arbitrarer, seu neque mihi egere commendatione videbatur, qui et in bello tecum fuisset, et propter memoriam Crassi de tuis unus esset; et, si uti commendationibus vellet, etiam per alios eum videbam id consequi posse. Testimonium mei de eo judicii, quod et ipse magnì æstimabat, et ego apud te valere eram expertus, ei libenter dedi. Doctum igitur hominem cognovi, et studiis optimis deditum, idque à puero. Nam domi meæ cum Diodoro stoico, homine, meo judicio, eruditissimo, multum à puero fuit. Nunc autem incensus studio rerum tuarum, eas litteris græcis mandare cupiebat. Posse arbitror : valet ingenio ; habet usum ; jam pridem in eo genere studii, litterarumque versatur; satisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Habes opinionis meæ testimonium : sed tu hoc faciliùs multò, pro tua singulari prudentia, judicabis. Et tamen, quod negaveram, commendo tibi eum. Quidquid ei commodaveris, erit mihi id majorem in modum gratum. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 16.

NOTAS.

Ex : *despues de verificados, despues de haber salido verdaderos los juicios, concepto.*
Quem : *de recibirle.*
Habet : *está ejercitado.*

CARTA X.

ARGUMENTO.

Recomienda á T. Manlio, porque es su amigo y tambien lo es de otro amigo de Ciceron llamado Varron Murena

M. T. C. Servio S. D.

T. Manlium, qui negotiatur Thespiis, vehementer diligo. Nam et semper me coluit, diligentissimèque observavit, et à studiis nostris non abhorret. Accedit eò, quòd Varro Murena magnoperè ejus causa vult omnia: qui ita existimavit, etsi suis litteris, quibus tibi Manlium commendabat, valde confideret, tamen mea commendatione aliquid accesionis fore. Me quidem cum Manlii familiaritas, tum Varronis studium commovit, ut ad te quàm accuratissimè scriberem. Gratissimum igitur mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimùm; id est, si T. Manlium quàm maximè, quibuscumque rebus honestè ac pro tua dignitate poteris juveris atque ornaveris. Ex ipsius præterea gratissimis, et humanissimis moribus, confirmo tibi, te eum, quem soles fructum à bonorum virorum officiis expectare, esse capturum. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 22.

NOTAS.

Magnopere: *le ama muchísimo.*

Si: *si hicieres por esta mi recomendacion cuanto por la que mas.*

Ac: *y sin menoscabo de tu dignidad.*

CARTA XI.

ARGUMENTO.

Recomienda á L. Cosinio liberto de un amigo.

M. T. C. Servio S. D.

L. Cossinio, amico, et tribuli meo, valde familiariter utor. Nam et inter nosmetipsos vetus usus intercedit; et atticus noster majorem etiam mihi cum Cossinio consuetudinem fecit. Itaque tota Cossinii domus me diligit, in primisque libertus ejus L. Cossinius Anchialus, homo et patrono, et patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus. Hunc tibi ita commendo, ut si meus libertus esset, eodemque apud me loco esset, quo et est apud patronum suum, majore studio commendare non possem. Quare pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis; atque eum, quod sine molestia tua fiat, siqua in re opus ei fuerit, juveris. Id et mihi vehementer gratum erit, et tibi postea jucundum. Hominem enim summa probitate, humanitate, observantiaque cognoces. Vale. *Lib.* 13, *ep*, 23.

NOTAS.

Tribuli: *de mi tribu: todos los romanos estaban distribuidos en cierto número de tribus.*

Quod: *en cuanto buenamente puedas.*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

CARTA XII.

ARGUMENTO.

Recomienda á Hagesareto natural de Larisa.

M. T. C. Servio S. D.

Hagesaretus larissæus, magnis meis beneficiis ornatus in consulatu meo, memor, et gratus fuit, meque postea diligentissimè coluit. Eum tibi magnoperè commendo, ut et hospitem et familiarem meum, et gratum hominem, et virum bonum, et principem civitatis suæ et tua necessitudine dignissimum. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 25.

CARTA XIII.

ARGUMENTO.

Recomienda á demetrio Megas, que habia sido hecho ciudadano romano por privilegio de César, para que no le parase perjuicio el decreto de este, en que anuló dichos privilegios.

M. T. C. Acilio procons. S. D.

Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella, rogatu meo, civitatem à Cæsare impetravit: qua in re ego

interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur. Quumque propter quosdam sordidos homines, qui Cæsaris beneficia vendebant, tabulam, in qua nomina civitate donatorum incisa essent, revelli jussisset; eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse, quod de Mega vereretur; beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, ut eum in civium romanorum numero haberes. Ceterisque in rebus tibi eum ita commendo, ut majore studio neminem commendarim. Gratissimum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat, meam commendationem magno sibi ornamento fuisse. Vale. *Lib.* 13 *ep.* 36.

NOTAS.

Sordidos: *soeces, viles.*

Revelli: *arrancar, esto es, que no valieran los privilegios concedidos para ser ciudadanos romanos.*

Vereretur: *que no recelase no fuese legitimamente concedido el privilegio de Megas.*

CARTA XIV.

ARGUMENTO.

Recomienda á Anquialo, siervo de Egnacio, y los negocios de este, que tenia el esclavo á su cuidado.

M. T. C. Appulejo proquæstori S. D.

L. Egnatio uno equite romano vel familiarissimè utor. Ejus Anchialum servum, negotiaque, quæ habet in Asia, tibi commendo

non minore studio , quàm si rem meam commendarem. Sic enim existimes velim , mihi cum eo non modò quotidianam consuetudinem summam intercedere, sed etiam officia magna, et mutua nostra inter nos esse. Quamobrem etiam atque etiam à te peto , ut cures ut is intelligat , me ad te satis diligenter scripsisse; nam de tua erga me voluntate non dubitabat. Id ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 45.

CARTA XV.

ARGUMENTO.

Recomienda á Quinto Pompeyo.

M. T. C. Curio proconsuli S. D.

Q. Pompejus , Sexti filius multis , et veteribus causis necessitudinis mihi conjunctus est. Is, cum antea meis commendationibus et rem, et gratiam , et auctoritatem suam tueri consueverit ; nunc profecto , te provinciam obtinente , meis litteris assequi debet , ut nemini se intelligat commendatiorem umquam fuisse. Quamobrem à te majorem in modum peto, ut, cum omnes meos æquè, ac tuos observare pro nostra necessitudine debeas , hunc in primis ita in tuam fidem recipias , ut ipse intelligat, nullam rem sibi majori usui , aut ornamento, quàm meam commendationem , esse potuisse. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 49.

CARTA XVI.

ARGUMENTO.

Recomienda á Manio Curio.

M. T. C. Aucto proconsuli S. D.

Sumpsi hoc mihi pro una in me observantia , quam penitùs perspexi, quamdiu Brundusii fuimus , ut ad te familiariter , et quasi pro meo jure scriberem , siqua res esset , de qua valde laborarem. M. Curius , qui Patris negotiatur , ita mihi familiaris est , ut nihil possit esse conjunctius. Multa illius in me officia, multa in illum mea ; quodque maximum est, summus inter nos amor, et mutuus. Quæ cum ita sint , si ullam in amicitia mea spem habes ; si ea, quæ in me officia , et studia Brundusii contulisti , vis mihi etiam gratiora efficere , quamquam sunt gratissima; si me à tuis omnibus amari vides, hoc mihi da , atque largire , ut M. Curium sartum et tectum , ut ajunt , ab omnique incommodo , detrimento, molestia sincerum, integrumque conserves. Et ipse spondeo , et omnes hoc tibi tui pro me recipient , ex mea amicitia , et ex tuo in me officio maximum te fructum , summamque voluptatem esse capturum. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 50.

NOTAS.

Sumpsi : *me tomé la libertad.*
Quasi : *y como si se me debiera de justicia.*
Sartum : *sin menoscabo.*

CARTA XVII.

ARGUMENTO.

Recomienda á Publio Mesieno.

M. T. C. P. Cæsio S. D.

P. Messienum, equitem romanum, omnibus rebus ornatum, meumque perfamiliarem, tibi commendo ea commendatione, quæ potest esse diligentissima. Peto à te et pro nostra, et pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, ejusque rem, famamque tueare. Virum bonum, tuaque amicitia dignum tibi adjunxeris, mihique gratissimum feceris. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 51.

CARTA XVIII.

ARGUMENTO.

Recomienda á Cecina para que cobre unos dineros, que se le debian.

M. T. C. P. Servilio Isaurico procons. S. D.

A. Cæcinam, maximè proprium clientem familiæ vestræ, non commendarem tibi, quum scirem, qua fide in tuos, qua clementia in calamitosos soleres esse; nisi me et patris ejus, quo sum familiarissimè usus, memoria, et hujus fortuna ita moveret, ut hominis omnibus mecum studiis, officiisque conjunctissimi, movere debeat. A te hoc omni contentione peto, sic, ut majore cura, majore animi labore petere non possim; ut ad ea, quæ tua sponte sine

cujusquam commendatione faceres in hominem tantum, et talem, calamitosum, aliquem afferant cumulum meæ litteræ, quo studiosiùs eum, quibuscumque rebus possis, juves. Quòd si Romæ fuisses, etiam salutem A. Cæcinæ essemus, ut opinio mea fert, per te consequuti. De qua tamen magnam spem, habemus, freti clementia collegæ tui. Nunc, cum justitiam tuam sequutus, tutissimum sibi portum provinciam istam esse duxit: etiam atque etiam te rogo, atque oro, ut eum et in reliquiis veteris negotiationis colligendis juves, et ceteris rebus tegas, atque tueare. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 66.

NOTAS.

Fortuna: *la desgracia de estar desterrado por haber seguido el partido de Pompeyo, y haber escrito contra César.*

Collegæ: *César, que habia sido cólega de Publio Servilio en el consulado.*

Istam: *esa tuya en Asia.*

CARTA XIX.

ARGUMENTO.

Pide á Ticio favorezca á Avinio acerca del lugar y tiempo en que habia de entregar cierta cantidad de trigo.

M. T. C. T. Titio, T. F. Legato S. D.

Etsi non dubito, quin apud te mea commendatio prima satis valeat, tamen obse-

quor homini familiarissimo C. Aviano Flacco; cujus causa omnia tum cupio, tum meherculè etiam debeo. De quo et præsens tecum egi diligenter, cum tu mihi humanissimè respondisti; et scripsi ad te accuratè antea. Sed putat interesse sua, me ad te quàm sæpissimè scribere. Quare velim mihi ignoscas, si, illius voluntati optemperans, minùs videbor meminisse constantiæ tuæ. A te idem illud peto, ut de loco, quo deportet frumentum, et de tempore, Aviano commodes: quorum utrumque per eumdem me obtinuit triennium, dum Pompejus isti negotio præfuit. Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris, ut Avianus quando se à me amari puttat, me à te amari sciat. Erit id mihi pergratum. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 75.

NOTAS.

Obsequor: *doy gusto.*

CARTA XX.

ARGUMENTO.

Recomienda á los hijos de C. Aviano.

M. T. C. Allieno proconsuli S. D.

Et te scire arbitror, quantì fecerim C. Avianum Flaccum: et ego ex ipso audieram, optimo, et gratissimo homine, quàm à te liberaliter esset tractatus. Ejus filios dignissimos illo patre, meosque necessarios, quos ego unicè diligo, commendo tibi sic, ut majore stu-

dio nullos commendare possim. C. Avianus in Sicilia est: Marcus est nobiscum. Ut illius dignitatem præsentis ornes, rem utriusque defendas, te rogo. Hoc mihi gratius in ista provincia facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale. *Lib.* 13, *ep.* 79.

NOTAS.

Dignissimos: *dignos hijos de tal padre.*

LIBRO II.

De las cartas narratorias y nunciatorias.

CARTA PRIMERA.

ARGUMENTO.

Dícele á Apio que le será buen amigo, y espone los motivos que tiene, para amarle y estimarle.

M. T. C. proconsul Appio pulchro imperatori S. D.

Pridie nonas junias, cum essem Brundusii, litteras tuas accepi: quibus erat scriptum, te L. Clodio mandasse, quæ illum mecum loqui velles. Eum sanè expectabam, ut ea, quæ á te afferret, quamprimùm cognocerem. Meum studium erga te, et officium, temetsi multis jam rebus spero tibi esse cognitum; tamen in iis ma-